

# HIERONYMI CAR-

## DANI MEDIOLANENSIS CIVIS

Q'VE BONONIENSIS, MEDICI ET PHILOSOPHI  
ac Professoris, De septem Erraticis  
Stellis Liber.

### DE SATVRNO.



**S**ATVRNVS altissima Errantiū stellarum est, proximaq; stellato orbi, inditio est quod tardissimè omnium mouet, & quod eum proximus fuerit alteri Erraticæ oculus deprehendit ipsum esse illa altiozem. Minor est aspectu quauis alia præter Mercurium: unde, cum sit superior alijs ut dixi, à quauis obumbrari potest etiã, præterquam à Mercurio. Potest etiam intercipi alio modo, non admissis radijs solaribus seu per Iouem, seu Martem, nam Venus, Mercurius & Luna, id efficere non possunt cum sint parui & nimis ab eo distantes, ut umbra illorum ad eum non pertingat. Est autem coloris plumbei & obtusioris luminis quouis alio Planeta. Id contingit partim natura propria, partim ob raritatem substantiæ eius. Maximus enim est omnium erraticarum exceptis Sole ac Ioue, ut cuius corpus globum terræ & aquæ contineat (ut ferunt) nonagesies sexiesq;. Dimeties autem illius ad dimetientem globi terræ & aquæ quadruplus cum septunce, ut scilicet quinquagintaquinque ad duodecim. Alij dicunt dimetientis ad dimetientem esse tantum quadruplum cum dimidio, corporis uerò ut XC I. ad unum. Circuitus eius fit in annis XXIX. diebus CLVII. horis XXII. Minutias non apponimus, cum quod ad finem nostrum nihil referant, cum quia uix sciri possunt. Resoluit pariter in parua Sphæra in anno uno & diebus XII. spatium ob id retrocessus quamuis ad unguem definire non liceat est prope dies CXL. Cum enim circa absidē retrocedit sunt dies fermè CXLV. cum circa oppositum CXXXII. Est autem absis illius in Sagittarij partibus XII. minutis XXXIX. Dico autem quod Sol & Saturnus propè absides suos sint: hoc enim facit ad longum retrocessum, Solis quidem quia Saturnus mouetur tardè in Sphæra sua. Saturni uerò quam in eccentrico, contra in perigeo si sit uterq; Planeta sui eccentrici celeriter retrocessus absoluetur. Latitudo eius meridiana maxima est partium III. minutiarum II. cum fuerit Borealis. Australis autem partium III. minutiarum V. Omnes enim erraticæ præter luminaria & Venerè magis inclinantur, in latitudinibus ad Meridiem, quam ad Septentrionem, Venus & Luna æqualiter. Sol autem ne utrobique Ecliptica discedit, locus quo secat Ecliptica ad nos ueniens nostra ætate est pars IX. Leonis: quo transit ad meridiem circa Capricorni finem. Venter Borealis circa finem Libræ, uenter Australis, circa Tauri initium. Transitus à meridie in septentrionem, & à septentrione in meridiem fit à tredecim annis ad quindecim: ideoq; superiores uident, sicut & Luna motum latitudinis habere fermè similem & a qualem motum quem cum longitudine habent. Videntur etiam capita eorundem uelut, & in Luna motu contra ordinem signorum ferri, quo fit ut celerius redeant, quam sit tempus circuitus. Domus illius Capricornus & Aquarius oppositæ domibus luminarium. Altitudo signum totum Libræ, sed præcipuè pars eius XXI.

A Trigonus